



Nr. 2 fehlt!

11. Dez. 1954 Lr



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS EX HEPATIS VITIO

QVAM

PRÆSIDE

DNO. FRIDERICO HOFFMANNO

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE

ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS


MORE SOLENNI RITE CONSEQVENDO

*Add. Augusti A. O. R. MDCCXXVI.*

Publico eruditorum examini sistet

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS ZIMMERMANN

DRESDENSIS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis, IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typog.



SCUMME ILLUSTRA GEMEROSISSIMO  
ATQUE EXCEPTE MEFISSIMO

MOR BIS EX LIBRA  
DNI FRIDERICI

DE BUNAU

DNO FRIDERICI HOEYMANNO

ATQUE GEMEROSISSIMO  
NOVEM

NOVEM  
TO PECTATISSIMO  
MO REPTISSIMO

CHIRURGICIS  
HABITISSIMO

DOMINO MEO

CHIRURGICISSIMO  
CUM SUBMISSA ARMA DEVOTISSIMO





SUMME ILLUSTRIS GENEROSISSIMO  
ATQUE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,

DN. HEINRICO  
DE BÜNAU,

CLIENTELARUM SEGELISII, RADEVISII  
ET LEHNISII PATRONO

SUMMO,

AUGUSTISSIMO AC SERENISSIMO  
POLONIARUM REGI, ET S. R. IMPERII NOVEM  
VIRO A CONSILIIS SANCTIORIBUS ET PURPURA-  
TO SPECTATISSIMO CANCELLARIOQUE DIGNISSI-  
MO, REDITUUM CEREALIVM PRÆFECTO SUMMO  
ATQUE ORDINIS EQUESTRIIS IN PRINCIPATU AL-  
TENBURGENSI DIRECTORI AC GENTIS BÜ-  
NAVIAE SENIORI ELECTO.

DOMINO MEO  
GRATIOSISSIMO

CUM SUBMISSA ANIMI DEVOTIONE SALUTEM.





SUMME ILLUSTRIS ATQUE EX-  
CELLENTISSIME DOMINE  
DOMINE GRATIOSISSIME.



Ufus sum disertationem inaugu-  
ralem medicam Summe Illustri  
TUO, EXCELLENTISSIME  
DOMINE, nomini consecrare,  
tum ut devotum obsequium &  
submissam observantiam luculentius testatam  
TIBI GENEROSISSIME DOMINE facerem,  
tum ut Patrono summo contra malevolos niti  
possem, speroque gratiam TUAM atque ve-  
niam me consecuturum certissime. Audacem  
me fecit virtutum splendor, qui TE, DOMINE  
GRATIOSISSIME, ad tantum dignitatum &  
gloriæ fastigium evexit, Pietas præsertim illa re-  
rum publicarum firmatrix, & pro religione sin-  
ceriori ardor, illustris eruditionis fama, inque  
literas atque harum cultores & amatores im-  
pensa benignitas, Quæ sane dignissimæ sum-  
mis



mis viris dotes, ut alios, ita me quoque in Tur  
admirationem abripiunt efficiuntque, ut & ego  
clientibus TUIS annumerari atque ad NOMI-  
NIS TUI EXCELLENTISSIMI cultum ar-  
ctiori quodam nexu obstringi cupiam. Accedit  
singularis illa gratia, qua parentem æque ac me  
meosque hæcenus complexus es, quamque ut  
nobis omnibus illibatam servare benigne digne-  
ris, vel hac etiam ratione allaborandum esse ra-  
tus sum. Equidem magnos non nisi magna  
decere certum, sed quia duriores hic esse quo-  
dammodo meæ partes videntur, & anceps con-  
ditionis meæ defensio, TE, tamen SUMME  
ILLUSTRIS DOMINE, non tam munusculi  
tenuitatem, quam prolixissimam demisse offe-  
rentis voluntatem spectaturum fore, plane con-  
fido. Accipe igitur PATRONE GRATIO-  
SISSIME, specimen hoc academicum oculis  
benevolis & fronte serena, ac clementer permit-  
te, ut sit devotissimæ mentis meæ apud TE tes-  
sera & quasi obses, gratiæ autem TUÆ felix o-  
rator: ut quantum divinas TUAS dotes atque  
virtutes admirari, tantum de gratia TUA glori-  
ari



ari & lætari ætatem contingat. Ceterum Deus  
TE, GENEROSISSIME DOMINE, fervet  
terris nostris mortaliumque rebus salvum, atque  
incolumem quam diutissime, omnisque generis  
bonis subinde augeat largiterque cumulet, ac  
faxit, ut TUA potissimum auctoritate, cura &  
sapientia salus publica contra quascunque tem-  
pestates salva sit ac in tuto collocetur. Vale  
maximum patriæ DECUS! DOMINE SUM-  
ME ILLUSTRIS ATQUE EXCELLEN-  
TISSIME tuereque

## GENEROSISSIMI NO- MINIS TUI.

*Hala Magdeburgica,*

*d. IX. Augusti,*

A. O. R.

M D CC XXVII

Cultorem & clientem devotissimum

CHRIST. FRIED. ZIMMERMANNUM.





DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**MORBIS EX HEPATIS  
VITIO.**

§. I.



**S**illum in corpore nostro viscus curatissimam meretur disquisitionem, certe est hepar. Huius enim sicuti ad vitam cum sanitate conservandam utilitas est longe praestantissima: ita vicissim confertum morborum agmen, ex eiusdem labe & læsa functione ingruit. Ea autem huic visceri dispositio inest ac habitudo, ut non solum longe facilius quam ullum aliud vitium contrahat, sed etiam contracto illo, latius malum propaget reliquisque corporis partibus noxam affricet gravissimam. Duplici proude respectu morbi-

A 2 dus

CHRIST. FRIED. EMMERICH





dus iecoris status expendi potest, tum quo vitia  
 quæ ipsam eius substantiam occupant, evolvuntur,  
 tum etiam quo his succedentia & contigua viscera  
 infestantia mala meditationi subiiciuntur. Prius in  
 proxime edito inaugurali specimine, *de morbis hepatis*,  
 fusius præstitum est; posterius autem impræsentiarum  
 uberius paullo excutiendum nobis sumimus, suppo-  
 sitis iis, quæ de hepatis fabrica, functione & connexio-  
 ne, in priori disquisitione iam pluribus sunt allata. Fa-  
 xit Deus feliciter!

### §. II.

Sunt vero multi oppido, iique graves, quin  
 chronicorum plurimi morbi, qui ex hepate male af-  
 fecto incunabula trahentes & in hoc focum ac fo-  
 mitem obrinentes, alias corporis, in primis vicinas,  
 partes affligunt, quos inter maxime eminent cachexia  
 & hydrops. Quod si enim hepar obstructum & mi-  
 nimi in eo canales lento succo farti, biliosi humo-  
 ris secretio imminuitur, & sordes subtiles sulphureæ  
 non solum sanguini immersæ manent, sed deficiente  
 etiam debito bilis ad chymosam ciborum massam in  
 duodeno affluxu, eorum intimior resolutio impedi-  
 tur, rudis & crassus chylus elaboratur, qui unacum  
 sordibus ob segnius succedentem alvum retentis san-  
 guini affusus, illum contaminat, ut læsa gravius nu-  
 tritione, corpus langueat & morbosam habitudi-  
 nem, quam cachexiam vocant, contrahat. Accedit,  
 quod sufflaminato sanguinis per hepar motu, reli-  
 quus per universum corpus turberetur, ipseque san-  
 guis non solum in colatoriis non rite depuretur,  
 sed tardius etiam circumactus, lentescat & sanitas in-  
 de gravius detrimentum capiat.

### §. III.



§. III.

Cachexia si non tempestive perfanatur, succedit hydrops. Depravata enim ut meminimus sanguinis crasi, perverso quoque libero eiusdem progressu, proximum est, ut fracto simul solidorum robore, passim subsistat, & secedente per poros in fibrosam partium substantiam, seroso-lymphatica portione, partes primum e quibus difficilior regressus, pedes, intumescant, & latius deinde serpente malo, hydropicus universi corporis tumor, quem Græco nomine anasarca dicunt, enascatur. Hydrops vero ascites, idemtidem plerumque hepatis labi ortum debet. Quia enim larga in hepate lymphæ peragitur separatio, & numerosissima ex eodem egrediuntur lymphatica vasa, oppletis & infarctis hoc viscere, lymphæ per ductus suos cursus minus urgetur, eademque in valvularum intercapedinibus aut sub membranis obhærescens, hydatides efformat, quibus demum disruptis & effuso contento humore, ascites gignitur. Quæ quod ita sint luculenter confirmant sectiones hydrope defunctorum, e quibus patescit, hepar plerumque morbidum conspici, nunc pallidum & fere exsangue, nunc humidum, atrum simulque densum, durum five scirrhosum, variegato colore conspicuum, nunquam tanquam corium torrefactum, abscessibus purulentis refertum & hydatidibus obsessum.

§. IV.

Iam si methodum, qua hæc mala præscindere & oppugnare plerumque moris est, expendimus,



eandem liberali martialium, anticachecticorum & antiscorbuticorum, necnon appropriatorum amarorum usu, potissimum contineri deprehendimus. At verolicer non negemus, hæc medicamina prudenter, ad arcendos inprimis hos morbos, usurpata, haud sperendæ utilitatis esse; attamen deprompta ex martepharma, quocunque modo propinata, ob adstrictivam qua pollent virtutem, admodum infida sunt & minus circumspicte oblata, labem sæpius augent & obstructionem obfirmant, ut ex cachexia promptus ad hydropem paretur aditus; anticachectica autem & sic dicta antiscorbutica, sale ut plurimum referta acri volatili, quo, non exquisita cautione data, impuras sulphureas in massa sanguinis & humorum sordes validius sæpe commovendo, maiores dolores & anxietates inducere, interdum etiam exanthemata expellere solent, tantum abest, ut speratum in funditus extirpandis hepatis vitiiis effectum certo præstent; & specifica illa hepatica, pariter sæpius spem fallunt, & ab eorum usu nonnunquam symptomatum exacerbationem, maiorem præcordiorum anxietatem & auctum quoque faciei livorem, annotavimus.

## §. V.

Quin potius, quum hepatici morbi, qui faciei livorem, corporis languorem & vitiosam nutritionem cum partium intumescencia iuncta habent, obstructione tubulorum in hepate, potissimumque eorum qui biliosorum sordium separationi serviunt, nitantur ac foveantur; quævis dilaudata aperitiva frustranea sunt,

&



& tum demum præstabilem opem ferunt, quando debita dosi, convenienti tempore, congruo regimine, & quod maximum, cum sufficiente quantitate humidi propinantur. Aquæ enim ea præcipua laus est, ut humores crassos & viscidos diluat, fluidos reddat & obstructa vasa eluat; salia autem, martialia aliaque roborantia, eidem nupta, languentibus motricibus fibris stimulum inferunt, ut aucta inde earundem contractione, contenta vegetius truantur & humores promptius circumagantur. Quumque minerales soteriæ aquæ, præter aqueum copiosum elementum, diversa & subtilioris indolis alcalia, nec non neutra salia vehant, martialem quoque terram & crocum teneriorem connubio suo susceperint, neque minus aëreo-elastico elemento persusæ sint; apprime utique naturæ humanæ eiusque motibus vitalibus circulatoriis, nec non secretoriis & excretoriis favent, eaque propter in contumacibus hepatis vitiis, cachexia inprimis & principio hydrophis, omnibus aliis remediorum generibus palmam præripiunt.

§. VI.

Aliud morbi ex turbata lymphatici & biliosi humoris in hepate obstructo secretione genus est, quod Medicis diarrhæa audit hepatica. Nimirum quando hepar notabili infarctu oppletum, non solum sanguis per venam portæ ad hepar vehendus, tardius per intestina trusus, maiorem solito lymphæ minus puræ ibi dimittit copiam, sed etiam per arteriæ aortæ primum emissarium cœliacum ramum denega-



negato per hepar transitu , ad alterum immediate succedens mesentericum delabitur, & uberior pariter lymphæ portio per intestina exstillat. Cui si accedit simul, accedit autem ob hepatis labem semper, ipsius bilis inertia aut defectus, id quod in alimentari massa falsum & acre sulphureum ad intestina volvitur, quorum nervosæ membranæ inde moleste afficiuntur, ut motus peristalticus cum intensis torminibus augeatur & alvi sequatur profluvium. Et hanc alvi fluxus ex hepate obstructo genesin si ignorat Medicus, qui poterit eundem compefcere & perfanare? Sane si eadem quam aliis diarrhæis ratione, sedativis, carminativis & adstringentibus huic occurrerit, in vanum laborabit & ægrum gravi damno afficiet, eo quod hic affectus difficulter semper sanabilis, nunquam vero sanationem admittit, nisi vitii in hepate ratio habeatur perquam sollicita. Pugnandum potius adversus eiusmodi affectum est iis remediis, quæ obstructos in hepate meatus referant, quæ robur eius vasis addunt, & deiectum quoque intestinorum tonum firmant, quo nomine extractum cardui benedicti, centaurii minoris, cortex chaccarillæ, chinæ ipsumque rhabarbarum, si ex iis varia medicaminum genera concinnentur, plurimum laudis merentur.

#### §. VII.

His non minora & longe plura sunt, quæ ex obstipato hepate & impeditiori inde factò sanguinis per abdominis viscera commeatu pullulant, quæ inter primo loco commemorandus hæmorrhoidum flu-



fluxus. Omne enim sanguinis per ani venas stillicidium præter naturam contingit, totumque hæmorrhoidale negotium cum omnibus suis vitiis & morbis ab ipso pendentibus, potissimum a retardato per canales qui cum portæ vena commercium alunt motu, eiusque progressu per hepar vel lento vel plane intercepto, arcessi debet. Non autem sola ad hunc fluxum ciendum sufficit plethora, sed ipsius simul corporis accedat dispositio necesse est, quandoquidem ii, qui habitum gerunt spongiosum & laxum, vasisque copiosioribus, sed exilioribus distinctum, potissimum hæmorrhoidali fluxui sunt obnoxii, quo etiam fit, ut dispositio ad hæmorrhoides quam maxime sit hæreditaria. Et his quidem, in quibus propter vasorum angustiam & laxiorem fibrarum compagem difficilior sanguinis a visceribus imi ventris ad hepar est regressus, hæmorrhoidum stillicidium solenne ac salutare est, eo quod exsoluta superflua respectu proportionis & diametri vasorum sanguinis copia, reliquus deinde eo liberius circumagitur. Videant igitur, quam egregie ægris suis consulant, qui simulac symptomata hæmorrhoidum retentum successum alias excipientia animadvertunt, illico hæmorrhoidalia molimina subesse hariolantur, & aloëticis aliisque pharmacis cruorem ad inferiora cogentes, in omnibus sanguinis per ani venas profluvium, ad quod natura plane non sunt dispositi, summa ope urgent; quum tamen ad longe alias horum pathematum causas animum advertere & medicationem dirigere deberent.



## §. IIX.

Proinde quemadmodum omnis omnino sanguinis per hæmorrhoidales venas secessus, sufflaminato eiusdem libero per portæ venam & hepar cursui maxime in acceptis ferendus; ita pariter nimium per easdem profluvium ex eodem fonte derivandum, ita tamen, ut maiorem in iecoris viscere labem, graviolem intarctum, indurationem vel plane scirrhum plerumque prodat, quo fit, ut præcluso sanguini penitus ferme transitu, is copiosius ad connexas portæ venas, maximeque quæ recta magis via ad inferiora tendunt, hæmorrhoidales, regurgitet, & urgente semper posteriore priorem, largiter ex apertis osculis effundatur. Ex quo quidem recte utique colligitur, excessivum hunc fluxum semper symptomaticum & nunquam salutarem esse, difficillime sanationem recipere, & ut plurimum in funestum morbum, hydropem maxime, vel cachexiam, aut denique lentum calorem & hecticum, transire. Eo citius autem funestum sortitur eventum, si præpostera medicatione excipitur, & constringentibus maxime, vel etiam anodynis, aut sopientibus oppugnatur, eo quod his usurpatis, vel vehementia spasmodorum in agilioris indolis corporibus, lethalium symptomatum genitrix increfcit, vel etiam in segnioribus & laxiori corporis habitu præditis, cachexia hydropica ortum & incrementa sumit. Tutissima potius huic morbo resistendi ratio est, per ea remediorum genera, quæ sanguinis immoderatum effluxum non subito & cum violentia sistunt, sed tantum sine noxa moderantur & sensim immittunt. Et hoc commode ac  
opti-



optime perfici potest, per tepida balnea, pediluvia, immiffionem brachiorum in tepidam aquam, leniora diaphoretica, temperata stomachica & roborantia amara, cum martialibus debito modo præparatis permixta, fufpenfa ac provida manu exhibitâ.

§. IX.

Non tamen omnis excessivus hæmorrhoidalis fluxus, insanabile hepatis vitium, vel enormem sanguinis abundantiam, aut lentorem arguit, sed sæpissime etiam ex motuum vitio, spasmodorum nempe in abdomine & frequentia & vehementia, originem fortitur. Luculento exemplo sunt hypochondriaci, quibus viscera adhuc salva, & tamen dispositio ad hæmorrhoides, vel conatus ad illas, vel nimius earum successus adest. Hæc autem si subest causa, detrimentosus profecto constringentium & martialium est usus, quippe quæ vi sua adstrictiva spasmos & stricturas inducendo & obfirmando, fluxum potius augent, quam compescunt, & eo multo magis allaborandum, quo spasticæ contractiones mulceantur ac sopiantur, sicque sanguinis cursus ab exterioribus revocetur & per interiora liber præstetur. Nos quæ hunc in finem commendemus habemus potissimum nitrosa, cum cinnabarinis, absorbentibus & cum pauxillo castorei mixta, nec non liquorem nostrum anodynum mineralem, cum convenienti vehiculo, aquis scilicet antispasmodicis, propinata. Neque minus frequentioris observationis est, enormi sanguinis ex ano profusioni causam præbere so-



lam quoad vasa plethoram, five nimiam sanguinis respectu capacitatis vasorum redundantiam. Quando enim sanguis ira exundans, validius per vehementem corporis motum, animi imperum, aut potum spirituosum exagitur; is utique ex facili in dispositis per ani venas impetuose erumpit, diminuta autem plethora, & sedato per acidula & nitrosa æstu, subsistit nihilque amplius periculi metuendum.

§. X.

Effunditur vero etiam sanguis oppleto hepatis diverticulo ex aliis quam hæmorrhoidalibus venis. Ut enim mittamus narium stillicidium solenne admodum hepaticis & lienosis, experientia comperum est, hæud raro cruorem in superioribus alimentaris canalis erumpere. Nimirum quando sanguinis per hepaticum viscus, ob atoniam vel infarctum eius, transitus cohibetur, fieri aliter non potest, quam ut cruor maiori copia & impetu per arteriarum motum appulsus, impedito eiusdem per iecur ad cavam regressu, membranaceæ ventriculi & intestinorum substantiæ gravius incumbat, canales oppleat, perrumpat & sic effundatur. Quod si igitur ad ventriculi compagem sanguinis imperus ruit, vasa plerumque sic dicta brevia, ex arteria & vena splenica oriunda, in sinistra stomachi regione, ubi tenuissimæ membranaceæ texturæ est, dehiscunt & vomitus subsequitur cruentus, qui rarior affectus est & plus periculi alit in viris quam sceminis, quibus frequentius a mensium obstructione & inde facta humorum ad superiora regurgitatione, accidit, neque tam hepatis,



patis, quam potius uteri vitio ortum debet. Si vero non modo ventriculi, sed etiam intestinorum, maximeque ilei, in quo maxima membranarum teneritudo, vasa perforantur, morbus, ab HIPPOCRATE niger dictus, infestat, quo præter sanguinis vomitum, per alvi secessum fæces nigræ & fœtidissimæ, funesto plerumque eventū, deiciuntur.

## §. XI.

Novimus quoque plures cachexia hypochondriaca laborantes, qui diuturno virium languore & interno lento æstu, sub livido & plumbeo faciei & corporis colore consumti penitusque contabescentes, tandem ex improvise in alvi profluvium, nigro & fœtido cruore permixtum inciderunt, quo ingens copia fœtentis cruoris simul & semel aliquoties excreta fuit, cum summa virium deiectione, quam non ita multo post mors sequuta est. Hunc autem sanguinis nigri per alvum fluxum, ex mesenterii potissimum vasis, ob minorem resistantiam & tortuosum ductum nimium distentis, manasse & ad intestina perrupisse, probabile admodum est; quandoquidem frequentioris observationis est, non solum in hypochondriacis & cachecticis mesaraica mirum ampla & diducta, sed etiam post sanguinolentas aut purulentas deiectiones, in mesenterio latibulum obtinuisse materiam secedentem, facta sectione offendi.

## §. XII.

Ex hoc itaque fonte manans sanguinis pro-

B 3

flu-



fluvium, non stipticis, quæ anxietates & inquietudinem augent, non frigidis, quæ coagulant & inflammationem accersunt, compescendum; sed si auxilio adhuc locus, id agendum, ut viribus rescillatis, sanguinis liber per corpus cursus revocetur, stagnans in prima regione blande educatur, tandemque obstructa & infarcta hypochondria referentur. Et viribus quidem, adeo plerumque prostratis, ut lipothymia ingruant, interius analepticis succurrendum esse censemus, eumque in finem commendamus mixturam, quæ aquam melissæ, cinnamomi sine vino, acetum destillatum, corallia, lapidem manati, vel dentem hippopotami, & sirupum corticum aurantium recipit. Exterius vero totus venter fovendus sacculo, speciebus nervinis, aromatibus & roborantibus referto, ut sunt mentha, abrotanum, ros marinus, flores chamomillæ vulgaris, Romanæ, rosarum, caryophylli aromatici, nucista, cubebæ, in vino rubro cocto & calide applicato. Ad sanguinem in corporis peripheriam alliciendum faciunt pulveres & liquores bezoardici; quo vero is prima e regione educatur, ex usu sunt rhabbarina, nec non clysteres traumatici ac demulcentes; & ad tollendum denique hypochondriorum infarctum, extra paroxysmum omnia ea proficua, quæ alias hunc in finem passim a nobis sunt commendata.

### §. XIII.

Neque vero semper sanguis infarcto hepate & vena portæ oppleta, ad ad connexos canales regur-



regurgitans, effluit, sed sæpius in iisdem stagnans & alveos diducens, nerveas quibus instrata sunt vasa membranas, premendo ac tendendo, atrociam inducit pathemata. Et primo quidem ventriculus hanc ob causam inflatione tentatur; eo quod contractis a spasmo forti, fibris annularibus sphincteris instar cinctis eiusdem orificiis, intus contenta viscida materia in flatu resolvitur, qui præcluso exitu, parietes exterius urgent, ut stomachus vesicæ instar expansus, alternantem diaphragmatis ascendentem ac descendentem motum suspendat, liberam pulmonum expansionem impediat & sanguinis ex uno ventriculo in alterum per pulmonaria vasa cursum intercipiat, eaque propter summam illam anxietatem, inquietudinem, & spirandi difficultatem inducat, ad suffocationis usque merum affigentem, donec laxata paulisper orificii inprimis superioris strictura, ructus impetuosè ex ore elidantur. Iunguntur huic malo plerumque ob sufflaminatum pariter sanguinis per caput motum, ingens cephalalgia, vertigo, susurrus vel tinnitus aurium, facies rubicunda & turgida, nec non cordis tremor & palpitatio cum animi deliquio. Sæpius etiam contingit, ut redundante ab hepate oppleto sanguine, inprimis fero acri bilioso imbuto, nervea & musculosa in fundo ventriculi tunica moleste afficiatur, vel deposito in glandulosa tunica seroso hoc vellicante humore, interior arrodatur, & hanc ob causam non solum nausea, sed etiam crebræ & molestissimæ vomitiones, cum exquisito dolore oboriantur.

§. XIV.



## §. XIV.

Hæc tam truculenta symptomata si urgent & augetur, medicam utique exposcunt opem, licet ipse morbus, a causa in viscerum penetralibus firmius hærente productus, non tam subito possit penitus extirpari. Andabatarum autem more cum hoc morbo pugnaret, qui ignorata hac causa, carminativis, calidis, stomachicis occurreret, vel etiam purgans aut emeticum, quod tamen subinde fieri assolet, offerret; sed potius spastica strictura laxanda ac mulcenda, & sanguinis infarctus submovendus. Nos igitur ad spasnum resolvendum & flatus discutiendos commendamus potius liquorem nostrum anodynum mineralem, remixtum cum essentia corticum aurantium, & cum infuso ex veronica, millefolio, fl. chamomillæ & sambuci, propinatum. Exterius vero regio ventriculi balsamo nostro vitæ inuncta, linteis complicatis calidis instillato fovetur, impositis simul regulis calefactis. Ad revellendam autem sanguinis ventriculi tunicis incumbentem molem, venæ in pede inciso admodum proficua, quæ cum bonis ægrorum rebus, superato paroxysmo, ad divertendum magis humorum decubitus, iterato instituitur & sic hoc malum abigitur.

## §. XV.

Longe facilius atque frequentius quam ventriculus, sufflaminato libero sanguinis per abdominis viscera, imprimis hepar, comæatu, intestina spastico-flatulentis pathematibus infestantur. Horum enim vasa non solum propinquius venæ portæ cohæ-



coherent, sed etiam eo promptius atque facilius a sanguine irruente opplentur ac distenduntur, quo minor in mesenterio per quod feruntur renitentia viget, & quo magis ipsi canales in eodem anfractuoso in gyros curvato ductu porrecti, expeditum sanguinis cursum retardant. Infartis autem a regurgitante sanguine vasis, tam nervorum in mesenterio plexus, quam nervosæ huic annexæ intestinorum membranæ, comprimuntur ac distenduntur, ut inde acerbissimus dolor cum strictura oboriatur, qui eo truculentior est, si serum sanguinis acribus, biliosis, scorbuticis recrementis scatet, & has membranas exquisitissimi sensus simul rodit. Vulgo quidem hic dolor vocari solet colica spasmodica, sed quum non tam in colo, quam potius tenuibus intestinis fixam obtineat sedem, & ipsa tormina potissimum circa umbilicalem regionem, ubi tenuia situm servant, affligere soleant; rectius utique cum HIPPOCRATE aliisque veteribus dolor ilei dicendus est.

## § XVI.

Perquam autem familiare est hoc dolorum in intestinis genus iis, in quibus fluxus hæmorrhoidalis non succedit, & vel parcius exsolvitur, vel consuetus plane substitit, vel etiam repente vi quadam aut animi affectu, præsertim terrore, cohibitus est. Et nosmetipsi a nimio hæmorrhoidum fluxu, opiatibus & adstringentibus subito compresso, acerbissima intestinorum tormina notavimus, quæ quum totum nervosarum partium systema inque primis cerebri mem-

C



membranas in consensum pertraherent ac delirium accerferent, paucis diebus mortem intulerunt. Sæpius etiam accidit, ut intestinum colon a stagnante sanguine hæmorrhoidali vehementibus & dolorificis stricturis, quæ nec flatus, nec excrementa transmittunt, afficiatur, ipsique flatus ano obserato, ad superiores coli partes, ubi flexuræ sunt in hypochondriis, nec non intestina tenuia regurgitent, & horum tunicas nimium distendendo, intolerabilem cum inquietudine, anxietate, extremorum frigore stipatum dolorem procreent, ut in mortis confiniis ægri constituti videantur.

§. XVII.

Quo magis itaque sævi intestinorum volumen exercentes dolores & a priori perspecti & a posteriori confirmati patent, eo magis omnino est, quod miremur: perpauca Medicorum veram horum torminum causam cognitam tenere, ideoque eorum curationem perperam plerumque moliri. Quum enim flatuum genesin, ex GALENI mente, ab intemperie intestinorum nimis frigida, & cruditatibus nimis viscidis, vel etiam secundum recentiorum loquendi modum, ab atonia, seu deiecto intestinorum robore, semper accersendam esse putent: solenne ipsis est, ut medicamentis calidioribus, salino-volatile & sulphureo principio imbutis, ut sunt essentia & aqua carminativa spirituosæ, spiritus oleosus Sylviæ, cum oleo carvi & iuniperi essentificatus, flatuum discussionem urgeant, sed frustra ac sæpius cum symptomatum & caloris præternaturalis exacerbatione.



tionē. Præsentissimum vero miseri ægrotantes levamentum percipiunt, detracto per venæ in pede incisionem sanguine, vel admotis hæmorrhoidum tuberculis hirudinibus, oblato interius pulvere antispasmodico nitroso cinnabarino, cum castorei momento remixto, & applicato exterius fotu emollientium ex lacte repleta, quibus idemtidem interponendum laxans mannatum, cui portio olei amygdalini adiecta.

§. XIX.

Placet in huius confirmationem producere exemplum celeberrimi viri Archiatri, qui nunquam venæsectionem passus, in Carolinis thermis sævissimo & vix tolerando dolore colico corripiebatur, ac per aliquot dies adeo excruciabatur, ut animam agere videretur. Frustra penitus tentatis omnibus carminativis & anticolicis medicamentis, infusis quoque sine effectu alvo clysteribus, ut venam sibi incidi pateretur datum consilium, quod is tantum non rifi excepit, eidemque, quia nunquam audivisset colicam sanguinis missione sanari, obtemperare plane renuit. Demum vix precibus ab ipso impetravit D. D. PRÆSES, ut spreto certissimo ex venæ incisione auxilio, pulverem tantum nitrosam cum liquore anodyno minerali assumeret, quibus usurpatis, dolor mox mitigatus & reficiens, quo per plures noctes caruerat somnus, reperit, iisdemque continuatis, adhibito simul ad alvum frustra clysteribus tentatam, solvendam, cum successu infuso manna-



to laxante cum oleo amygdalarum dulcium, paucos intra dies morbus penitus discessit. Doluerat autem celeberrimus hic vir ante mali accessionem circa os sacrum, a sanguine procul dubio ibi stagnante & inferiorem coli partem cum recto moleste afficiente, qui quum postea per ani venas non exsolveretur, ad vesicam translatus est eius impetus, concitavit stranguriam & exulcerationem exquisito dolore stipatam, quibus etiam per aliquot annos detentus est.

### § XIX.

Aliud flatibus ac spasms ventriculorum cum intestinorum volumine exercens malum est, passio sic dicta hypochondriaca. Pathemata quæ in hac affligunt sunt certe gravissima, dum acidarum cruditarum ingens in primis viis est proventus, quibus ciborum solutio ac digestio impeditur, alvus supprimitur, flatus qui intestina & ventriculorum distendunt ingignuntur ac spasmi infesti exquisite sentientes viscerum membranas hostiliter confringunt, ut atrocia oriantur symptomata, & universi corporis œconomiam graviter turbent. Quamvis autem hic morbus variis suinde nitatur causis, quæ tonum naturalem & peristalticum, qui in ventriculo ac intestinis viget motum, proxime destruxerunt: haud raro tamen etiam ab hepate obstructo & tardiori sanguinis per venam portæ progressu incunabula trahit, aut minimum iecoris vitio fovetur & augetur, solennis maxime iis, qui vitam colunt nimis sedentariam, intemperantius studiis invigilant, & his nervosis partibus debitum subtrahunt robur. Quapropter hypo-



chondriaci affectus sanatio rarius, vel si inveteraverit, plane non, sine mineralium, acidularum vel thermalium aquarum potu, sine usu balneorum, sine sufficienti corporis motu, aëris mutatione & tempestivis peregrinationibus, ex voto suscipitur atque perficitur.

§. XX.

Pariter feminæ, sicuti ob menstruam quam patiuntur sanguinis imminutionem, rarius malis quæ impeditiori eius per abdominis viscera cursui debentur, obnoxie sunt: ita si fluxus parcus iusto succedit, aut post quinquagesimum annum plane subsistit, eo gravioribus afflictionibus excruciantur, quas pathematum hystericorum nomine insigniunt. Quia enim in muliebri corpore laxior fibrarum est compages & maior semper sanguinis copia generatur, suppressa consueta superflui evacuatione, exundans moles languidius cursum conficit per imi ventris viscera, & in nervosis eorum partibus hærens, sæva inducit symptomata, spasms & impetuosus humorum ad certa loca congestionibus infestantia. Hinc cardialgicæ illæ præcordiorum oppressiones, faucium strangulationes, tensivæ hypochondriorum inflationes, phlogoses, artuum dolores, universi corporis languores & huius generis plura. Optimum vero ad molestissimas has afflictiones abigendas præsidium est in redundantis sanguinis diminutione, sive per scarificationem, sive venarum incisionem facta, nec non in tempestivo ac circumspecto aquarum salubrium, tam interno quam externo usu, non neglecta decenti ac sufficienti corporis exercitatione.



## §. XXI.

Senibus porro frequens atque familiare est malum, quod omnia in ipsorum ventriculo coalescant ructus acidi cum soda & anxietate molestiam faciunt, ac rodentes dolores circa præcordia percipiuntur, fecibus albis & cum difficultate secedentibus. Deducenda pariter nostra quidem sententia; hæc affectio est, ex lentiori sanguinis per hepatis viscus progressu, & parciore inde facta biliosi humoris secretionem, cuius beneficio acidum, quod cum alimentis ventriculorum ac intestina subit, ita contemperatur, ut nervosis membranis rosione molestum esse nequeat. Nos proinde cum egregio fructu his passionibus detentis, obtulimus pulverem absorbentem cum rhabarbaro, nec non balsamicum temperatum elixirium, ex amaris extractis, gummatibus resinosis, aromatibus ac roborantibus, in lixivio & Hungarico vino dissolutis, confectum, quibus obtusus acor, bilis secretio revocata, & alvo facta solutiore, crudi & male cocti succi blande educti.

## §. XXII.

Sunt adhuc alia intestinorum vitia, quæ ab hepate male affecto, tanquam fonte derivanda sunt, quorum in numerum referendæ frequentes alvi deiectiones, cum abdominis torminibus & tenesmo sive continuo egerendi conatu stipatæ, quæ si non maturo consilio componuntur, non raro in senibus, si arthritici, podagrici, vel hæmorrhoidarii fuerunt, in funestam intestinorum erosionem desinunt. Male igitur ac perperam ægris hoc affectu laborantibus consulunt, qui a suppressis hæmorrhoidibus mali caus-



causam reperentes, crebrius sanguinis missiones infuturas suadent, vel illorum successum, propinatis liberalius pilulis, quæ aloën recipiunt, proritare nituntur, eo quod viribus quæ adhuc supersunt, his penitus fractis atque consumtis, fato eo citius cedere coguntur. Nos nuperius admodum senem podagricum, per mensem & quod excurrit hoc morbo afflictum, injectione clysteris ex decocto pedum vervecinorum, addito ovi vitello, & pota copiosius pitifana emulsiua, ex rasura cornu cervi, radice scorzonera, corticibus citri & amygdalis dulcibus, nec non pulvere bezoardico, cui theriacæ cælestis tantillum adiectum, facili & explicita curatione ex ancipiti levavimus. Eadem medendi methodus servanda, si, quod sæpius accidit, subsistente hæmorrhoidum fluxu, intestini recti tunicas & glandulas erosio, cum continuo tenesmo obsidet, secedente per alvum saniosa materia, vel sæpius sero pellucido instar albuminis ovi coagulato. Quod si vero labes profundius latet, & ob acutum dolorem inflammatio accedit, auxilio non amplius locus est, sed sphacelus subsequitur & funestum inducit exitum.

§. XXIII.

Iisdem præterea senibus atque decrepitis familiare, quin tantum non ordinarium, vitium est intestinorum lævitas, adeo ut levi laxante stimulo, vel alimento sale acri imbuto, aut dulci fermentescibili assumpto, ad alvum sæpius deponendam sollicitentur. Pullulat autem, nostra quidem sententia, pariter hæc affectio ex læsa hepatis functione, quandoquidem accumulata nimis in senili corpore ob  
ple-



pleniorem victum, vitæ otiosum genus & perspirationem parcius succedentem sanguinis copia, is difficulter per imi ventris viscera potissimumque hepar traiectus, & in vasis mesaraicis nec non intestinalibus stagnans, non modo ad tormina intestinorum ætate gravibus solennia, sed etiam crebriores alvi deiectiones disponit; licet non negemus, multum quoque ad inducendam hanc molestam alvi lubricitatem, ipsam intestinorum, ob negatum laudabilis sanguinei & nervei liquidi influxum, subortam atoniam, conferre. Quapropter etiam ad submovendum hoc malum alvumque citatiorem firmandam, non certius atque præsentius reperimus auxilium, quam in sic dicto elixirio stomachico D. D. PRÆSIDIS, adiectis aliquot olei cinnamomi guttulis acuato, vel etiam in balsamo liquido D. D. PRÆSIDIS, quem vocant vitæ, si matutino tempore in decocto fabarum Coffee ad aliquot guttas propinetur.

#### §. XXIV.

Accedit denique subcruentum illud alvi profluvium in Medicorum scholis fluxus hepatici nomine notum. De huius origine & causa magnus inter Medicos viget dissensus, dum quidam dysenterici, quidam hæmorrhoidalis fluxus speciem esse volunt, nonnulli hepar accusant, alii hoc plane a labe immune pronunciant, alii denique ad intestinalia & mesaraica vasa eius ortum referunt. Verum, licet ingenue profiteamur, nos hunc affectum nunquam observasse, præter symptomata tamen ut morbo huic propria passim ab auctoribus exposita, dissectio defunctorum  
lucy-



luculenter testatur, in hepate eius sedem esse constituendam. Vberrimam enim observatores BONTIUS *de Medic. Indor. lib. III. obs. 9.* MANGETVS *biblioth. pract. tom. II. BALLONIVS lib. I. conf. 53.* aliique in BONETI *sepulcreto* allegati, fidem faciunt, hepar in fluxu hepatico interentis, semper erosum ac putre, immo eodem quod in viventibus secesserat liquamine subcruento, loturæ carniū simili diffluens, repertum fuisse. Quare proxime ad veritatem accedere viderur sententia BIANCHI, quam *in historia hepat. pag. 172. § 455. seq.* promit, asserentis: fluxum hepaticum oriri, quando sanguis serosa colluvie redundans ad hepar per portam adyehitur, & in eius compage lentius cursum conficiens, dissoluta magis crasi, ipsos canales laxat, continuos portarum biliares ductus subit, & absorpta bile, per hos ad duodenum defertur ac demum per anum secedit. Catarrhum ideo hepatis hunc fluxum vocat, qui si diutius visceri incumbit, sensim ipsam substantiam eliquat & acrimonia sua exedit, ut corrumpatur & tabo diffuat. Curationem vero ita instituendam esse præcipit, ut curata labis in hepate habeatur ratio, obstructum expediatur, laxum firmetur, serosa colluvies subducatur & acrimonia invertatur, quæ an experientia confirmetur, iis, quibus hic morbus sanandus offertur, ulterius explorandum relinquimus.

§. XXV.

Quamvis vero plura eaque gravia corpus nostrum subinde infestantia mala supersint, quæ ex turbato hepatis officio, bilis nempe secretionem & ex-

D

cre-



cretionem minus legitima, nec non eius interperie ac motu perverso pullulant: nobis tamen impræsentiarum sufficere evoluisse ea, quæ ex sanguinis ac humorum per hoc viscus minus recte succedente motu enascuntur, reservando pleniorum illorum expositionem proximæ commodæ occasione. Interim ex dictis luculenter satis apparere arbitramur, numerosas admodum & ancipites ægrotudines, ab unico iecoris viscere in corporis integritatem redundare, & plerasque illarum ex solo progressu sanguinis per hepatis compagem intercepto suam ducere originem. Certe enim non tam copia vel intemperies humorum, ipsaque viscerum labes, quam potius inæqualis ac non rite peractus, nimis nempe vel acceleratus, vel retardatus, fluidorum cursus, causam & ortum præbet gravissimis afflictionibus. Evidens in feminis exemplum præbet uterus, qui, si sanguis per eius compagem non legitime fertur, teste iam DEMOCRITO, mille malorum mulieribus est artifex; & idem in hepate contingere ex superioribus innotescet, in quibus debita perspicuitate, facilitate grataque brevitate, modo pure mechanico, ex sanguinis per hepar & canales qui cum illo cohærent motu, deduximus omnia ea, quæ ab aliis nimis perplexa, diffusa & obscuritate vix intelligibili de principio sensitivo, iam rationali, iam irrationales errores admittente, & sanguinis per hæmorrhoides excretionem modo remote, modo proximius moliente, proposita sunt.

## §. XXVI.

Proinde nihil iam superest, quam ut brevibus etiam



etiam de prophylaxi affectuum ex hepatis vitio nostram interponamus sententiam. Plurimi quidem nostro hoc ævo, dum omnia illa spastica, flatulenta, hypochondriaca pathemata, ex minus legitimo hæmorrhoidalis fluxus successu derivare satagunt; omnem tam ad arcenda, quam persananda hæc mala curam ac medicationem eo dirigunt, ut sanguinis per ani venas stillicidium, vel proritent, vel in ordinem redigant; verum quia hæmorrhoidalis fluxus effectus tantum est impeditius per viscera abdominis, & maxime hepar, succedentis sanguinis progressus, ad hunc potius tanquam causam mentem ac medendi methodum accommodandam esse merito censemus. Nam licet non inficias eamus, in omnibus iam memoratis morbis ex hepatis vitio, sanguinis per sedis venas debito tempore, ordine ac mensura erumpentem fluxum, oportum, quin præsentaneum afferre levamen, eo quod effuso stagnante & membranas exquisite sentientes moleste afficiente cruore, spasmi, flatus ac dolores conquiescunt; nihilominus tamen, quum experientia teste, neque in potestate naturæ, neque Medici positum sit, prohibitu hunc fluxum elicere ac dirigere, neque etiam adhuc ulla remedia ad hunc scopum certo obtinendum cognita sint atque perspecta, ut potius si tentare nonnulla velimus, plus detrimenti, quam emolumentum expectandum sit; longe alia profecto ad afflictiones has & abigendas & declinandas medendi ratio ineunda, quæ in eo unice continetur, ut causam mali, interceptum nempe sanguinis per hepar transitum eiusdemque hinc ad alia viscera factam regurgitationem, idoneis remedijs aggrediamur & submoveamus, quod utique longe facilius atque cum certiori successu perficiemus, quam si ciendo sanguinis per hæmorrhoides fluxui præposteram operam impendemus.

§. XXVII,



## §. XXVII.

Vt igitur expeditus ac inoffensus sanguinis per abdominis viscera, maxime illorum amplissimum, hepar, cursus præstetur, victus primo ac vivendi generis exquisita habenda est ratio. Scilicet præter compositum & ab affectuum impetu immunem animum, commendandi cibi levis materiæ & facilis digestionis, cum largiori potu assumti. Iniungenda quoque inprimis crebrior corporis exercitatio, prout conditio fert, vel per equitationem, ambulationem & vecturam, vel etiam manuum agitationem, sermones & lectiones elata voce, instituta. Is enim laudatissimus ad sanitatis tutelam effectus est motus, ut humorum per univèrsum corpus, adeoque etiam abdominis viscera, progressum intendant, omnesque excretiones, maxime eam, quæ per cutis spiracula succedit, promoveat, eoque depurandis succis, magis quam purgantia ipsaque sudorifera, inserviat. Ex remediorum vero censu, nihil certe ad expediendum sanguinem stagnantem, vasorum robur fulciendum, eorum systolen intendendam & sanguinis per minutissimos canales meatum facilitandum, aptius, nihil efficacius, quam institurus, præparato prius per congruas purgationes, ac si e re est sanguinis missionem; corpore, aquarum salubrium, acidularum & thermalium, prudens ac tempestivus usus. Hæ enim, ut paucis multa dicamus, omnibus & præservatoriis & curatoriis indicationibus uberrime satisfaciunt, & sine earum ope, rarius, vel plane nunquam, tales, præsertim si radices egerint, morbi, extirpantur. Imperitum itaque merito illum iudicamus Acesiam, qui non solum saluberrimas medicamentorum fontium virtutes ignorat, sed etiam quod maius est, eorum usum oscitanter negligit, temere tamen contemnit, & refractariorum eiusmodi affectuum medicationem pharmaceuticis tantum remediis sterili plane consilio molitur.

F I N I S.



01 A 6597

ULB Halle 3  
003 092 429











Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

ORBIS EX HEPATIS  
VITIO

QVAM

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE  
ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

MORE SOLENNI RITE CONSEQVENDO

*Ad d. Augusti A. O. R. MDCCXXVI.*

Publico eruditorum examini sistet

ISTOPHORVS FRIDERICVS ZIMMERMANN

DRESDENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
pis, IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typog.